

modico negocio fudit fugavitque : sed mari ne an continenti dimicatum sit , auctores , quos vidimus , non tradunt . Secundum hanc prosperam pugnam Otho omnem maritimam Dalmatiæ , Liburniæ & Histriæ oram , quæ patris ducu in Venetorum fidem venerat , classe circumvectus , quasi provinciæ statum recognitus , singulas civitates & conventus adiit : cives novo juramento adegit , ut in Venetorum fide , in quam ulti venissent , in posterum manerent : neque quenquam ex suis popularibus res novas adversus Venetum Imperium moliri paterentur . Mox vero ex Dalmatia reversum Dominicus Flabanicus scelerata conjuratione incautum excepit : captumque , abrafa illi barba , anno * quinto ex quo Rempublicam solus administrare cœperat , in Græciam relegavit : ubi non longo interjecto tempore vita defunctus est .

Othone in exilium acto , Petrus Centranicus sive Barbolanus (nam utrumque eidem familiæ cognomen fuisse reperio) successit . Is patriæ statum domi forisque parum pacatum adeptus , haud quidem ab initio exploratum habuit , utri parti Reipublicæ prius succurrendum esset : constitit tamen , fatius esse civitatem atroci conjuratione exilioque Ducis optimi consternatam , ad pristinam concordiam revocare . Intervim vero Pepo Aquilejensis Venetarum rerum novitate solitudineque Gradenfis Ecclesiæ fretus (nam sunt qui scribant Ursum ejus loci Antistitem , Othone fratre Principatu ejectedo , veritum ne ab hominibus adversæ factionis , per quos ille pulsus esset , ipse quoque insidiis opprimeretur , extorrem abiisse) quasi loco , absente Urso , præsidio esse vellet , Gradum occupat . Alii tradunt , in gratiam Ursi locum expugnatum , quum Veneto interim præsidio teneretur : quod omnino pro mendacio refellitur . Quoniam si illi inter se tum amici fuissent , non utique per id tempus uterque suæ Ecclesiæ causam , quæ frequenti conventu Romæ acta est , non sine similitatis & odii suspicione suscepissent : ubi a Pontifice totoque cœtu declaratum ferunt , Gradensem Ecclesiam Venetiæ metropolim habendam . Illud vero constat , Conradum Imperatorem in Peponis gratiam Venetis per id tempus vehe-

1023

1026

* legendum
decimo-
quinto

Ei in exi-
lium acto
surrogatur
Petrus Cen-
tranicus , si-
ve Barbola-
nus .

1028